

**05**

**A**

**1466**









D. O. M. S.  
DISSERTATIO  
*De*  
PEREGRINATIONE

*Quam*  
IN ILLUSTRIS AD ALBIM FLUVIUM  
PLAUDENTE  
MAGNIFICA AC SPLENDIDISSIMA,  
PATRUM CIVIUMQUE ACADEMICORUM  
CORONA

Liberalis exercitij gratia.

*in Atrio majori*

publice

habuit

*Die VII. Julij An. 1654.*

JACOBUS HIERONYMUS SCHLEUSING

Dresdensis Misnicus.

---

WITTEBERGÆ

Typis RÖHNERIANIS.

57



REVISED  
D. O. W. R.  
A D. O. W. R. D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O. N.  
P. R. E. S. E. N. T. A. T. I. O. N. E.



03 A 1466





SERENISSIMO AC POTENTISSIMO,  
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI  
GEORGIO

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ,  
CLIVIÆ AC MONTIUM,

S. ROM. IMPERII ARCHI-  
MARESCHALLO ET ELECTORI  
SEPTENVIRO:

LANDGRAVIO THU-  
RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET  
UTRIUSQUE LUSATIÆ: COMITI  
IN MARCKA ET RAVENSBERG:  
DYNASTÆ IN RAVEN-  
STEIN &c.



PIO, FELICI, PATRI PATRIÆ  
JACOBUS HIERONYMUS  
SCHLEUSING

DEVOTISSIMI OBSEQVII  
TESTEM ET OBSIDEM

HANC ORATIONEM  
HUMILLIME

DICAT, CONSECRAT.

STEIN &c.



*Serenissime ac Potentissime Elector,  
Domine Clementissime:*

*Principibus placuisse Viris, non ultima laus est;  
hac ut fruamur, hic opus, hic labor.*

**D**Eberem ergo nervos omnes inten-  
dere, quò ad scopum, quem alijs  
præfixum volo, ipse collinearem, si  
facultates saltem voto responderent. Ast  
desint vires, Serenitatem tamen Vestram ani-  
mum meum in Se sincerum ac religiosum  
suscepturam esse, firmiter spero. Opu scu-  
lum contexi, quod primitias quasi studiorum  
meorum appellari volo, hoc penitus Sereni-  
tati vestræ consecro, quod exigui densiq; fi-  
li quamvis videatur, clarius tamen prodibit,  
si Serenitatis Vestræ Clementia ei affulserit;  
In majora de die in diem connitar, meum-  
que studium in id unicè erit directum, quò  
aliquando Serenitati Vestræ, nec non uni-  
versæ Domui Saxonicæ inservire, ac emo-  
lumento esse queam. Tu modò DEus  
Ter



Ter Optime Maxime propitius existe, pro-  
tege Patrem Patriæ ab omni incommodita-  
te, largire Ipsi Nestoreos annos, confer  
denique in Ipsum Ejusque totam Familiam  
omnem tuam Divinam gratiam ac miseri-  
cordiam, quò ego tanquam sub firmissimò  
clypeò Ipsiùs Clementiâ protegi, & conser-  
vari possim. Sic quod votò ac sponsione  
suscepi, feliciter me finijse, omnium affirma-  
bit suffragium.

*Serenitati ac Clementiæ*

*Vestræ*

*Subjectissimus*

**Jacobus, Hieronymus, Schleusing,**  
**Dresdensis Misnicus.**





RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS

AUGUSTUS BUCHNERUS,

Human. Literarum Prof. Publ. Academiae Senior & Electoralium Alumnorum Ephorus,

CIVIBVS ACADEMICIS

S. D.



Non est de nihilo, quod peregrinationes Plato aut penitus sublatas voluit, aut necessitate tantum susceptas nec nisi Senioribus concedendas. Videbat perspicacissima ejus mens, quid vulgò soleret fieri, & quàm in plerisque id genus studij in corruptelam morum perniciemque Reipubl. expeteret. Non ignorabat arduum atque difficile esse virtutis iter: facilem contra & expeditam pravorum ac turpium imitationem. Quantò itaque procliviores in mala intelligebat hominum animos, tantò arcendam.

A 2

magis



magis à peregrinandi licentiâ imbellem &  
nondum firmam ætatem existimabat. ne post  
domestica, & peregrina vitia imbiberet;  
eòque periclitaretur Resp. magis, quò pluri-  
bus morbis infestaretur. Tertullianus, La-  
ctantius & alij Patrum execrati vehementer  
bella sunt, inque ijs ponere operam, alienum  
planè ab instituto Christiani hominis censu-  
erunt. Mirum, nihil minus quàm ineptos  
homines inter illicita impiaque habuisse rem,  
cui & DEUS interfuit, & quam non rarò ipse  
præcepit. Sed aspectarunt illi, opinior, cum  
talia proderent literis, non tam quid essent  
bella per se, quàm, quomodo à plerisque bella  
gererentur. Quapropter, cum animadver-  
terent, sic à plerisque omnibus armorum  
tractari negotium, ut non in hostem solùm  
omnis verteretur vis, sed & amicos ac socios  
tempestat illa affligeret, & furtis, rapinis, stu-  
pris promiscue omnia miscerentur impunè;  
potius duxerunt, planè abstrahendum à bel-  
lis Pietatis cultorem, quàm ut permitte-  
rent, venire eò, ubi tam parata peccandi  
& pro.



& prope inevitabilis occasio esset. Perinde animatum Platonem fuisse existimaverim, cum aliò proficisci & peregrinari Reipubl. suæ nollet cives: neque tam improbasse ipsam rem, ut malam noxiamque penitus; quàm quòd videret, in loco tam lubrico multò facilius prolabi ac cadere aliquem, quàm in vestigio stare, & inoffensos gressus tueri posse. Ego quoque ut non diffiteor, visere gentes exteras, & aliquam cum ijs contrahere consuetudinem, utile ac saluberrimum esse, si rectè & ordine illud fiat; ita negaverim minimè, sic peregrinari plurimos hodiè, ut multò satius foret, nunquam ex patrio solo extulisse pedem. Neque enim locupletius instrumentum doctrinæ, aut uberiores prudentiam, aut ad venustam decoramque gravitatem compositos mores referunt domum, sed inanissimas nugas, & vanas species, & quasdam gesticationes mimicas virisque pudendas: quodque omnium maximum est, multò plerique pejores ac vitiosiores, quàm abierunt, revertunt. Namque dum editas virtutes



virtutis ac sapientiæ arces verentur accedere,  
difficultate itineris territi in plana ac ex-  
pedita vitiorum dilabuntur, quoque pronior  
jucundiorque ibi progressus est; eò se altius  
penetrant, itaque obhærent, ut malint peri-  
re, quàm non Sirenas istas sectari. Sed ea  
natura rerum est, ut in utramque partem  
pateant: nec quicquam tam bonum ac salu-  
tare inveniatur, quod non utendo malè in  
pestem perniciemque verti queat. Itaque  
non tollendæ damnandæque ipsæ res sunt,  
sed usus malus est, inque id adeò elaboran-  
dum, non ut omittantur, & abrogentur in-  
stituta egregia; sed ut in ijs nos rectè geramus,  
& comparemus. Quod ipsum licet difficile  
arduumque fuerit, conandum tamen expe-  
riundumque est: nec fugienda illico vitan-  
daq;ue gnavis & strenuis, quæ inertes & mol-  
les dubitarunt audere. Per præcipitia etiam  
fortes evadunt. Licet itaque peregrinari  
non tantum, sed politum etiam atq; eximi-  
um est: modò id ita instituatur, ut quicquid  
pervertere atque corrumpere rem utilissi-  
mam



mam potest, quantum licet, modis omnibus  
caveamus. Quod ipsum demonstraturus Præ-  
stantissimus Juvenis JACOBUS HIERONI-  
MUS SCHLEUSING Dresdensis Misnicus fi-  
nitis Sacris pomeridianis conscendet cathe-  
dram, & quid dicendo valeat, experietur. Ita  
enim habet, non mentem animumque cu-  
randum tantum, ut præclaras doctrinas sci-  
entiasque complectatur & capiat, sed exercen-  
dum ingenium quoque ac os, ut, quas conce-  
pit & excogitavit rationes animus, decoris, &  
elegantibus verbis disertè exponat. Proban-  
dum itaque & commendandum hoc institu-  
tum Juvenis est, juvandaque favore & exci-  
tanda præclara ejus voluntas, quò fortius pro-  
positum urgeat, nec ipse defetiscatur haud tan-  
tum, sed alij quoque ad capeffendas easdem  
res incendantur haud parum. Neque enim  
citius oblitterantur egregia studia, quàm ubi  
negligi, & in contemptum venire ceperint.  
Adeste igitur benevolis animis, SCHLEU-  
SINGIOQUE dicenti prolixam benignam  
que



que navate operam, quò & ingenium ho-  
minis politum ac come, & elegantia ipsa O-  
rationis invitare Vos potest. P.P. Dominica  
VII. post Trinitatis Anno recuperatæ gratiæ  
clò lōc LIV.



Est



Handwritten text on the left edge of the page, including characters like 'a', 'x', and 't'.

05 A 1466

ULB Halle 3  
003 777 944



VD17










**05**

**A**

**1465**







...  
d  
P  
fi  
fi  
ti  
C  
n  
fe  
p  
c  
a  
ci  
te  
d  
q  
n  
ta  
v  
n  
a  
v  
n





**E**st omninò in Magnorum Virorum non solum iudicijs, sed etiam oculis, Magnifice Domine Rector, Vosque cæteri Viri Reverend dignitate & Excellentia, Amplitudine, Consilio, Prudentia, Experientia, & Sapientia, præcellentissimi, omnium Facultatum Professores Celebratissimi, Domini, Præceptores, ac Fautores observantissimè colendi, & tu Nobilissima politissimaque Clarissimorum juvenum Concio: est inquam omninò in magnorum Virorum non solum iudicijs, sed etiam oculis vis quædam divinitus latenter implicita, quam quisque veretur! quare, si nunc in coronâ aliorum ad facienda verba surgerem, qui & autoritate, & iudicij, ingeniique acumine perspicacissimo reperiantur inferiores, non esset, quod mente adeò perturbarer, quin omnem potius secundum virium mearum suffragia curam intenderem, quò non aures modò, sed etiam animos Auditorum ita titillarem, deliniremque, suavissimè, ut, quanta ibi posset, excitaretur voluptas, cum verbis res, verba numeris, numeri affectibus, isti figuris, omnia omnibus inter se ita responderent, ut nihil ad vim decoremque ac pulchritudinem orationis videretur deesse.

Ast verò quas nunc accedo Syrtes? quinam mihi sese objiciunt scopuli? invadunt undique &

B

quasi



05 A 1465



quasi fauces mihi constringunt timor ac angustia :  
atque nunc demum Audaciam meam, & quò pro-  
gressus sim, deprehendo, atque intelligo.

Apud vos dico, Auditores Clarissimi, ad quos  
cùm oculorum meorum converto aciem, oculis  
ceu Solem intentè inspicienti caligo densa offundi-  
tur. Contemplor Viros Genere, Nataliumq; Splen-  
dore, Pietate, & absolutâ denique Eruditione Cele-  
berrimos, quodque me omnium maximè pertur-  
bat, illos adesse Oratores contemplor, quorum  
magnâ in concinnitate vocum & in verbis tan-  
quam ad normam dirigendis, quadrandis, com-  
ponendisve, vel ad admirationem usque depre-  
henditur industria, horum judicia de me extime-  
sco. Etenim planè existimo, si quid in rebus hu-  
manis, quod summò excellentique ingenio Viri  
vehementer expetant, illud profectò est decorè,  
politè, eleganter, non absurdè, aut inquinatè, quod  
barbarorum, ac sordidè dicere. Eloquar ergo an  
fileam ? hæreo Viri magni, præprimis, cùm Cla-  
rissimis etiam ac summis aliàs Oratoribus in Co-  
ronâ tantorum Virorum præter omnem Spem  
tremulum magis cor, quàm os disertum affuerit.  
Nam si quis excutiat memorias veteres, & quæ  
hinc inde facta, gestaq; recenseat, reperiet certè E-  
loquentissimos sæpius Viros, cùm ad dicendum  
vene-



venerint, ita perturbatos fuisse, ut obmutuerint  
magis, quam dixerint. Sistit se, dum hæc cogito,  
Romanæ Eloquentiæ princeps Cicero, mihi que  
suo exemplo persuasum reddit, et si aliàs ad popu-  
lum divina sua Eloquentiâ varie tonarit, fulgura-  
rit, se tamen, cum coram Catulis, atque Catoni-  
bus, hoc est urbis Principibus, verbâ sibi facienda  
fuerint, admodum timidè, periculosè, atque cum  
metu dixissè. Huic è Græciâ Demosthenes se  
jungit, is quanquam susurrum amaret, nec non  
Populi digitum in se intentum, (& quidni amaret  
virtutis præmium?) timuit tamen Æschinis, reli-  
quorumque è scholâ Politicorum iudicium, &  
quidni timeret audaciæ pœnam? Tales ergò cum  
videam, ecquid mihi animi esse debet, non tam  
facundo malè, quàm planè infanti! Sed jacta a-  
lea est: ingressus semel bonæ mentis palestram  
sum: hæc deferenda non est. Neque efficere tan-  
tùm honesta & pulchra, sed & conari saltem, in  
laude ponitur.

Cæterum, dum de certo quodam ac utili the-  
mate mecum delibero, (nemo enim tam in con-  
sultus & temerarius est, quin, si quam rem susce-  
pturus est, de eâ prius deliberet, & quid ex ea com-  
modi, incommodive sperandum sit, videat) nulla  
in re Orationem meam commodiùs occupari  
posse



posse, autumo, quàm, si hoc temperato Æstatis tempore de peregrinatione diversarum Regionum aliquid in medium afferam, excitatus à studiò & amore, quò in hoc nobilissimum studium ferri soleo, quippe naturã ita comparatum est, ut quarum rerum amore quisque ducitur, de ijs libenter loqui soleat. Hinc mirum non est, quin & ego, qui à pueris non solum peregrinandi cupiditate flagrarim, sed & ipse Numine propitio peregrinas aliquot oras aliquantulum in spexerim de tali materiã in præsentiarum loquar, quò hujus rei memoriam reversus ad patrios Lares divinã ope in hãc Electorali & Celeberrimã longè Academia non ostentationis causa, sed ad declarandam debitam meam observantiam ac devotissimam pietatem erga hoc illustre Musarum ac Gratiarum emporium lubens meritoque recolam.

Ut verò ordine ac distinctè agam, tria mihi sumam dicenda: Unum quàm honestum ac dignum sit, peregrinationes suscipere: Deinde, quàm jucundum, ac postremò, quàm utile. Singula licet non ad votum splendidissimi hujus Auditorij, ac juxta cætera requisita, quibus aliàs Oratores placere solent, & quoad fieri potest breviter, ne prolixitate tædium moveam, atque molestus sim, exequar. Antequam autem navis orationis meæ, ut

ita



ita loquar, in altum provehatur, Vestrum Venerandi Patres conscripti, Favorem, Vestram, Viri summi, benevolentiam, Vestras Auditores Clarissimi, amicas aures, per humanitatem vestram, quam in pectoribus vestris domo huc attulistis, imploro, rogo, ac quam officiosè atque amanter fieri potest, obtestor.

Cùm itaque Auditores Honoratissimi, mens humana vel rationis quodam quasi nervo incilò ita langueat, vel concretionis quadam prope dixerim, labe infecta ita hebescat, ut, dum res, quæ obscuritate quasi nube sunt obductæ, sectetur, facile malò quodam corrumpi possit: Itineri autem variarum ac longè à Patriæ sede remotarum Regionum qui se committant, non adeò interdum tenebras palpantibus similes videantur, nihil certè miror, peregrinationis studium eò in locò esse, ac apud quam plurimos fuisse, ut ipsa tanquam seductrix bonorum morum, infidiosè magis impetire soleat, quàm honesta, jucunda, ac utilis ingeniorum ac morum (absit abusus) informatrix proclamari. Contrarium itaque ego magis statuo, videlicet honestum esse, jucundum, ac utile peregrinari. Et primò quidem honestum ac dignum maximè esse censeo non absque certis argumentis iisque firmis, ut peregrinationes suscipiantur, studium



dium illud exoticas oras invisendi accognoscendi,  
institutum ad bonum aliquod comparandum,  
quod, aut Reipublicæ, Patriæ, nec non propinquis,  
aut nobis ipsis, dico & aliis extra patriam aliquan-  
do emolumento & laudi esse queat. Novimus  
hominem ad contemplandum natum esse, hoc  
est spectatorem Dei Divinorumque ejusdem ope-  
rum. Epictetum animadverto nobis dictum su-  
um seriò insulurrantem: *Ὁ θεὸς τὸν ἀνθρώπου θεοτήν  
βισήγαγεν αὐτῆ τε καὶ τῶν ἔργων αὐτῆ* Verba sanè audimus  
in ipsâ rei veritate fundata, quid enim nos homi-  
nes aliud in hoc universò aspiciamus, nisi admirabi-  
lia Dei opera? Ut meritò exclamemus cum Pei y-  
ctione Pythagoricâ: Factus & conditus est homo,  
ut contempletur rationem universæ naturæ, & sa-  
pientiæ. Sto mirabundus, dum hæc enarro. Ma-  
gna est divinæ potentæ vis in administratione hu-  
jus machinæ: magna & admirabilis ipsius in provi-  
dendô cura, infinita & incredibilis in instruendâ  
naturâ rerum, distribuendisque bonis suis sapien-  
tia juxta & bonitas. Hæc omnia videre, intelli-  
gere, admirari an possint satis benè, qui domi pigris  
subsellijs affixi resident, maximè dubito. Habet  
quælibet Regio in quo ostendet se, & quâdam pe-  
culiari laude excellat. Quæ indagare, atque co-  
gnoscere, cum fas sit minimè, qui resideat domi, &  
patriæ



patriæ fines nunquam excedat, optimè faciunt, qui dum peregrinantes tot flumina transeunt, tot montes transcendunt, tot sylvas penetrant, tot urbes, populos, & alia innumera aspiciunt, quicquid ibi in naturâ, in artificijs, inque moribus novum, inusitatum, insolitumque occurrit, mirentur, observent, ac notent. Hoc institutum, igitur, cum ita comparatum sit, ut hominem natum ad finem suum perducatur, quis æquus rerum æstimator ac arbiter, profectioes in diversas terras haud dignas censeat, in quibus homo ingenuus ac liberalis aliquam operam ponat? Etenim ut ij, qui jaculum mittunt, non invanum dirigunt, sed scopum præspeculantur, ad quem colliment, sic præfigendum nobis est, quid peregratione istâ quæramus: non hujus mundi illecebras, aut carnis voluptates, sed ut admiremur Deum, ut ejus opera nunquam non inspiciamus diligenter ac contemplemur, addo ut cultum Prudentiæ, Scientiæ, ac morum consequamur. Instituta enim illa varia, gentium ritus ac mores, nec non & formæ civitatum ad judicium & prudentiam confirmandam quàm potenter faciant, infra ostendam.

Succedit huic aliud, quod mihi dignitatem profectioum declarare videtur. Nam, quò quid magis motu gaudet, eò nobilius quoque ut sit, existiman-



stimandum vel illâ de causâ, quod hæc natura cœlestium rerum ac Spiritualium sit, ut nunquam quiescant. Videmus Solem & cætera sidera cum cœlô ipsô perpetuò agitari, moverique haut parvis orbibus, sed circum univertum volvi, & nullam mundi partem non pelustrare, cursu suô ac emetiri. Prodi igitur nunc terræ incola homo, & nobilioris animi tui conditionem demonstraturus, num residere domi, tuæ affixus terræ velis, an imitari cœlum potius, & æmulus siderum procurrere longè, atque putare adeò, non patriæ tantùm domicilium pertinere ad te, sed totum, quâ patet, terrarum orbem? Audisne Mercurium illum Trismegistum vetustissimum Philosophorum astantem tibi in aurem dicere? Quid est homo? divinum animal, nec conferendum cæteris, sed comparandum cum ijs, quæ sursum atque in cœlò sunt? At qui in eo quæ sunt? Astra & stellæ: istæ verò quid faciunt: Agitantur perpetuò, & circumvolvuntur suis orbibus, sibi que descriptos cursus conficiunt. Vide cœli contemplator homo, quid faciendum tibi sit, si Trismegistum audire voles. Sidera nempe & illos

*Labentes ætheris ignes*

æmulandos tibi proponit: & hoc dum facit, quid aliud tibi, quàm peregrinationes commendat; quæ te hæerere atque torpere non sinant, sed emicarent atque



reatque prorumpere, neque terrenæ isti ac pigræ  
moli, sed cœlesti naturæ potius similem reddant. O  
itaque preclara peregrinatio! Odigna, quæ ab in-  
genio liberali suscipiatur!

Nam de jucunditate quid afferam, de quâ ne  
dicendum quidem propemodum est, cum tam  
manifesta & indubitata in peregrinatione perpe-  
tuò sit, ut tangi manu quod dicitur queat. Dicam  
tamen, ne tacita quædam præteritio hocce nobi-  
lissimum studium apud imperitos de nugis arguat.

Adeamus itaque peregrinationes, & statim  
videbimus, quòd nullibi major se prodat voluptas,  
quàm hic, ubi perpetuò aliquid novi atque inuisi  
hactenus se offert, cuius aspectus mirificè oculos  
capiat, cognitio aut usus animum afficiat suaviter  
& ducat. Quàm grata enim hæ vices omnibus  
sunt? quàm mirè delectat ac capit quosque varie-  
tas? lanè aspiciamus peregrè perambulantes cum vo-  
luptate modò amœnissima & elegantissimis flori-  
bus fragrantia prata, modò arva frugibus miran-  
dis confita, hîc tot pulcherrima oppida, magnifica  
civitatum domicilia, palatia, capitolia, turres, sta-  
tuas, templa, arces, rudera, monumenta, inscri-  
ptiones, ptopugnacula, armamentaria, æraria, gra-  
naria, aulas Principum, servitiaque cultissima: hîc  
maria, littora, navesque ac classes, hîc pugnas, præ-  
lia

C

lia



lia, victorias, quæ omnia cum domum reversus fueris, non sine voluptate singulari aut ipse repetas animo, aut aliis narres. Curiosi naturam fumus homines, & plura semper videre, nosse & comprehendere cupimus: quod dum peregrinatio nobis præstat, utique illam voluptatis plenam (siquidem voluptas nihil aliud est quam titillatio quædam sensuum, quæ ex fructione ejus quod petimus maxime atque optamus oritur.) quotusquisque non credat? Enim verò si qui historias populorum, & peregrinarum gentium volvunt, & versant, earumque instituta, ritus, ac mores, tum quæ miracula ibi natura in aquis, in fructibus, in herbis, in animantibus, & alijs rebus hujus generis procreet, tantam nonnunquam voluptate videmus capi, ut inter legendum somni cibi que obliviscantur prope modum, ægerrime certe commentarios tales de manibus ponant: quanto plus oblectamenti & suavitatis eos carpere verò est simile, qui non legunt & audiunt talia, sed ipsi inspiciunt, accernunt coram & jam non credere illa mira, sed tangere possunt & usurpare? Est enim oculorum sensus acerrimus omnium, & multo efficacius movent, quæ videmus & intuemur, quam quæ legendo aut audiendo cognoscimus. Non diffitendum est, multos labores, infinitas molestias, nec pauca peregrinantibus



bus discrimina atque pericula objici, quæ nemo  
adiret ac sustineret, nî traherent illæ tot volupta-  
tum illecebræ, præ quibus omnia illa dura, amara,  
tristia, contemnuntur. Hoc factum, ut æquisi-  
mo animo Æneas cum Europâ mutarit Asiam; Co-  
lumbus, Draco, Canus, alijque reliquerint patriam  
& totum orbem terrarum circumnavigarint.

Hoc ipsum est, quod hodieque solatur mirifi-  
cè, qui peregrinas gentes adeunt, commerciaque  
cum illis exercent. De quo reponi pluribus pote-  
rat, nî metuendum esset, ne tædium prolixitatis  
incurrat oratio, & de utilitate potius dicendum fo-  
ret. Non tam lectanda enim quærendaque vo-  
luptas est. Rectè enim & verè à Poetâ dictum  
puto,

Nisi utilis est quod facimus, stulta est gloria.  
Nec alia, opinor, humanarum actionum ratio est,  
quàm illas ut non nisi utilitate metiamur. Inaniter  
sanè quis ageret, si fructus non exæquent labores,  
illudque in quo versamur, magis atterat, quàm  
prosit atque conducat. Sed ut provida mater na-  
tura, certis terminis finibusque singula rerum in-  
clusit, ne infinito curas, laboresque nostros objice-  
ret; ita & ego suis limitibus utilitatem peregrina-  
tionum circumscribam, ut teneri, atque intelligi  
melius possit: quam in præsentis triplicem facere





libet: *Scientiæ, Prudentiæ, & Morum*. Hæc omnia enim peregrinatio afferre debet, si consilio, si ritè instituta. Et primò quidem de scientiâ dubitare aliquis posset, ac mirari, quod peregrè eam quæramus cùm domi potius, securè, quietè & sine incommodo ex libris eam haurire liceat. Sed desinemus hujus admirationis, si animum flectamus ad duplicem, quæ ad scientiam ducit modum. Aut enim ab auri- bus ea, aut ab oculis est: A Doctore puto, aut à libris. Non enim legendo solùm, verùm & audien- do seu auscultando, proficimus. De libris quidem nemo inficiabitur quàm commodissimè eos ha- beri tractarique domi: sed neq; hoc negari poterit, multò & efficacius subire animum, & ei fortius hæ- rere, quæ audimus, quam quæ legimus. Benè igitur Nepos, cum Epaminondam audiendi studiosum prodidisset, adjecit, ex hoc enim facillimè disci ar- bitrabatur. Non omnes ubiq; artes & studia ex æ- quo utiq; florent; nec uni terræ doctissimi quiq; in- clusi sunt: sua cuiq; veluti gemmula est, quæ eam illustret, & claram celebremque faciat. Alibi Ma- gnus cœli aut naturæ vates colit, alibi Orator exi- mius, aut alterius artis gloriâ excellens. Hos ita- que si adire, si auscultare, si horum doctissimos sermones & sacras voces, tanquam oracula quæ- dam cœlestia, haurire coràm, contigerit, Deus bone



bonæ! quæ se discendi occasio, quot gazæ bona-  
rum literarum se offerunt. Hinc plures Philoso-  
rum veterum profectos peregrè, & longè positas  
adijsse gentes, legimus non aliâ causâ, quàm, ut  
augerent scientiam, & domi partas doctrinæ copi-  
as peregrinâ etiam sapientiâ locupletarent, ac exor-  
narent. Platonis enim, Pythagoræ, Democriti, &  
aliorum Sapiëntum mens fuit, relictâ penu artium  
Græciâ non ad cultos solùm sed ad Barbaros pere-  
grinari acri quâdam discendi cupidine. Et Plato  
quidem Ægyptum accessit, ut cum Chaldæis &  
Gymnosophistis locupletandorum studiorum  
causâ congrederetur, ante verò Cyrenem, Itali-  
amque petijt, ut ibi Theodorum Mathematicum,  
hîc Philolaum, ac Euritum Pythagóricos audiret.  
Quid dicam de Democrito? is itidem Geometriæ  
addiscendæ ergo Ægyptiacas oras petijt, ac Persi-  
cas Indicasque, ut Chaldæorum, Gymnasophista-  
rumque consortio & in formatione uteretur:

*Magnus amor patriæ sit quamvis, magna voluptas,*

*Fama peregrino major ab orbe venit*

*Major honos, rerum venit experientia major,*

*Si modo non animus deficit inde bonus.*

Sed præter scientiam prudentiam quoq; pro-  
fectionibus acquirimus. Neque enim fieri po-  
test, quin, dum adimus gentes varias variorumq;

C 3

inge



ingenia, mores, ritus, instituta, leges, & ad ministrandi Rempublicam formas, scrutamur ac pensitamur, quin plura imitanda cum curâ sequendaque, non pauca fugienda detestandaque quantum potest, deprehendamus. Quod si prudentiæ maximum munus, peritè nosse, quid conducat aut noceat; quantum ad eam inde licebit proficere? Profectò hâc ipsâ de causâ Homerus quoque Poetarum non solùm eximius, sed, ut Docti quique putant, etiam Sapientum, cùm in Ulysse exemplar civilis prudentiæ, exhibiturus esset, eum circum latum per terras plurimas, plurimorumque hominum mores ac oppida vidisse tradit. Quasi eo perfectionis aspirare haut potuerit, nisi plurimis annis peregrinatus fuisset. Morosissimum animal homo, & omnium peritissimè tractandum, quod ut politici maximè est, ita in eo consistit præcipuè, ut illius cùm quo agendum, indolem, mores, affectus, studia, teneat probè ac calleat. Audeat hoc, instituatque ex debito & voto, qui vitam nullibi se vivere melius posse arbitratus est, quàm in parentum sinu atque domi: ne ille hærebit egregiè, & inurbanitatis suæ atque inscitæ pœnas uberimè luet. Veniat contra qui peregrè diu vixerit, cum variorum sensuum ingeniorumque hominibus multùm versatus, quàm stabit egregiè, quàm pulchrè



pulchrè aget partes? Documento clarissimo, quas utilitates conferre peregrinatio, quamque nobiliter instruere prudentiam augereque possit. Sed transeamus in locum de moribus: quorum compositio, ut Sapientibus curæ esse debet, ita multum ad eam peregrinatio facit.

Suæ cuique genti & virtutes certæ & vitia sunt, peculiare laudes & culpæ. Sed, cum eximij & magni animi sit, egregio omni eminere, quam potest; non satis erit, nitere domesticis laudibus, sed, & externis decoribus inclarescere velle.

Multa quidem magnaque virtutum exempla historiae veteres, recentesque nobis subjiciunt, quæ sanè multum faciunt, ad instruendos formandosque animos & ad concipiendas honesti formas: sed inspectio multo acriores stimulos admovet, neque tam instruit animum, quam incitat, atque impellit. Nam cum adimus loca ipsa & domicilia, ubi magni illi Heroes, non dicam Viri vixerint, aut suas posuerint reliquias, quædam quasi religio subit, percellitque nos, & ad imitationem eorum nos totos vehementissimè inflammat. Formantur itaque mores nostri hoc apodemico studio ac poliuntur mirum in modum, cum aliorum rudem, inconditum, asperumque cultum, cum elegantiorum gentium leporibus & suavitatibus  
conten-



contendimus, & ita quid in dicto, in gestu, in omni actu ac vitæ facie maximè deceat, deligimus & observamus. Non scientiæ tantùm causâ, sed ut exprimamus etiam ac æmulemur, & commendabiliiores nos ad eò & gratiores alijs efficiamus. Multi enim odiosi fiunt, spernunturque qui propter egregias dotes aliàs admirationi esse omnibus poterant, si mores inculti asperi que abessent. Floruimus olim Germani castitatis, Fidei, Constantiæ, & Fortitudinis laude: sed tanta decora infuscavit non parum ac obliteravit squalor morum atque iusticitas. Quò factum ut, dum parùm comes ac elegantes essemus, inter agrestes & Barbaras haberemur gentes. Quâ notâ ut careamus in præsentibus, Politioribus Gallorum ac Italarum populis debemus, postquam adire eos, commerciaque ac consuetudines cum ipsis miscere cœpimus. Quæ res clarissimè loquitur, quam vim ad emendandos & excolendos mores peregrinatio habeat.

Cùm verò Auditores omnium ordinum honoratissimi ea sit perversitas humanis mentibus non à Deo insculpta, quippe qui nullius peccati autor est, sed à primò primorum parentùm errore hausta, ut quas res Deus pulchras egregiasque molitus ad suam gloriam sit, illas vel ad voluptatem traducant homines, tanquam venustas ac jucundas vel



vel proscindant conviciò, quòd alieni ab illis natura sint? mirum non est, quod & hujns studij apodemici conviciatores, culpatores, contemtoresque nobis se sistant. Qui licet confiteantur non extra utilitatem aliquam positas esse peregrinationes, tamen existiment, si rem rectè quis perpendat, plus detrimenti, quàm commodi è peregrinationibus provenire. Nec hic pericula atque discrimina, quæ vitæ aut valetudini nostræ inde imminerent, attingenda esse, cùm majora & graviora animis & Reipublicæ metuenda sint. Nam, cùm nos homines naturâ ad deteriora proclives ac propiores simus, facilè fieri posse, ut peregrinantes vitia hominum citius quàm virtutes assumant, corruptioresque revertantur non solùm, sed & alios corrumpant. Quam ob causam Platonem etiam peregrinationes in benè moratâ civitate privato homini minimè voluisse concessas, tradunt. Objectiones sunt, sed minimè ita comparatæ, ut animum generosum urbanitatisque nec non prudentiæ cupidum ab hoc studiò retrahant: Respondenda ergo quædam, & tamen paucissimis sunt, ne huic meæ orationi fides detrahatur. Dicant itaque Momi isti atque Zenones quid velint; ego contrà peregrinationes honestas juxta atque jucundas, nec minus utiles esse constanter assero.

D

Quod



Quod nemo sanioris mentis non faciet, qui inter  
usum & abulum rectè novit distinguere. Res nul-  
la est bona, quæ malè utendo non verti possit in  
noxam: capiamus modò exemplum à vinò: ma-  
gnum certè valetudinis præsidium in eò positum,  
& quod à prudentibus meritò honoratur, sed &  
morbos mortemque ipsam sæpius affert. Quo-  
modo hoc? Affert nimirum si intemperanter,  
atque immodicè ingeras. Quanquam autem id  
fiat, nemo tamen ideo saluberrimum vini liquo-  
rem justumque usum execratione proscribere au-  
det, quin potius ut insigne naturæ donum magni  
æstimat, & ut rectè utatur, sedulò curæ habet. E-  
xemplum adduxi à vinò delumptum, ut in eò tan-  
quam in clarissimò speculò cognoscere queamus,  
perinde secum peregrinatione rem habere, modò  
utilissimò institutò, prout decet, utamur: & cave-  
amus adeò, ne eximia per se & saluberrima res in  
noxam vertat. Non omnibus sine discrimine æ-  
tatis ac judicij profectioes sunt svadendæ, aut per-  
mittendæ: nam ut simile illud, de quò modò cœ-  
pimus, retineamus, sicuti vinum pueris non dan-  
dum est, quia ætatulæ eorum facilè damnum af-  
fert, viris verò concedendum, quippe, quod eos  
valentes, robustosque reddat: itaque maximè  
prudentes quique putant, adolescentibus impe-  
ritis,



ritis, & quibus nondum confirmatum iudicium  
accescit, inutiles esse peregrinationes, imò perni-  
ciosas: adultioribus verò, si affectent eiusmodi  
quid, non dissuadendas esse, jam enim id ætatis a-  
gunt, in quò suus rationi vigor, sua iudicio ratio  
constet. ut jam & ipsi intelligere bona, & rectè, si  
suggerantur ab alijs, capere possint, ac ita scire, quid  
sit peregrinari verè. Non enim temerè divagan-  
dum, errandumque est, sed deliberandum antè  
maximè, ac probè tanquam in lance perpendum,  
rationibusq; accurata subductio adhibenda, quan-  
do & quomodo peregrinari oporteat, similes hęc  
ex parte manè in publicum progressuris, qui dum  
accuratam valetudinis rationem habent, medica-  
mentorum scutò sese quasi præmuniunt, ne aut  
gravior aura, aut pestilens ad or aliudve contagium  
transeundò noceat. Necessaria sanè ac prudens  
hęc cautio, & peregrinantibus iterum iterumque  
sedulò inculcanda. Nam qui in peregrinandò  
versantur, eamq; ob causam iter faciunt, non tam  
gravitatem, cœli & tempestatum ambigua veren-  
da habent, quàm vitia corruptosq; gentium quas  
transeunt mores. Hic ne eorum animus noxium  
quid trahat, firmandus diligenter est, & quibus-  
dam veluti alexipharmacis, quò purus ac incon-  
taminatus maneat, Instruendus est. Non enim  
corpore magis peregrinandum, quàm animò est,



& cùm de corpore ejusque conservatione solliciti-  
simus adeò, quantò magis animam tanquam no-  
biliorem nostri, auræque divinæ partem quàm fi-  
delissimè curare oportet. Ne verò quis plorandi  
ansam habeat, atque si desint ipsi boni informato-  
res, qui fidelissimè ipsi inculcent, quomodo bene  
ac feliciter profectioes suscipere, ac peragere lice-  
at: ubi vis locorum prudentes peritique homines  
degunt, qui consuli possunt: & hi si desint, sunt  
tamen in mediò doctissimorum ac sapientum ho-  
minum libri & scripta, quæ docent, & monstrant,  
quomodo peregrinandum verè sit, quid in quali-  
bet Gente aut observare & sequi maximè, aut dete-  
stari contrà ac vitare imprimis oporteat. Nam &  
Hieronymi, Turleri, & Victorini Strigelij, & The-  
odori Zvvingeri, nec non Davidis Frölichij, &  
Martini Zeileri (ut alios taceam) libellos in isto  
genere scriptos publice legere possumus. Quo-  
rum præceptis & monitis si peregrinantes obedi-  
ant, dubitandum non est, quin profectioes & pe-  
regrinationes variarum Regionum utilissimæ sint,  
ac saluberrimæ longè evadant.

Audivistis Auditores omnium ordinum Hono-  
ratisimi, audivistis, quid pro tenuitate ingenij atq;  
judicij de hoc nobilissimò studiò dixerim. Nem-  
pe humanis animis imprimendum sedulò, pere-  
grina-



grinationes minimè esse rem animo honesto indignam, cùm homo in Dei operumque ejus contemplationem conditus sit, quæ peregrinandò promovetur egregiè, nec injucundam, per vices, atque mutationes rerum, quæ objiciuntur, assiduas, quæ nunquam non gratæ: & ipsam rerum cognitionem, quæ nunquam non curiosis, quod sumus naturâ, expeditur; utilem demum & fructuosam, propter Scientiam, Prudentiam, & compositionem morum, quam, dum lustramus peregrinas gentes, consequimur: Abeant ergo Momi illi ac Mimi, qui hoc nobilissimum studium è generosis hominum animis extirpare minimè verentur, abeant, qui contemnunt, convicijs proscindunt, abeant, qui peregrinandum non esse clamitant. Mihi alia mens sedet, quam pro viribus hâc publicâ oratione in Splendidissimâ istâ coronâ volui explicare. Quam, quia cum singulari benevolentia *Patres Conscripti, vosq; omnium ordinum Spectatissimi Viri ac Juvenes* audiveritis, restat, ut pro hoc præstitò favore gratum me præstem. Gratias itaque ago maximas ac immortales *Augusto Tuo nomini, Rector Magnifice, vobisq; Patres conscripti Amplissimi, nec non vobis ceteris omnibus & singulis* quod sepositis gravioribus negotijs non tantum huc benevolè accedere, sed &



quæ à me dicenda erant, benignè atque amicè au-  
dire volueritis. Nil habeo quod redhostimenti  
loco offeram, quam observantiam meam subje-  
ctissimam, precesque indefessas pro incolumitate  
hujus illustrissimi Musarum emporij, officia de-  
nique unicuique atque studia, quovis locò &  
tempore præstanda pro viribus ad votum  
& nunquam non promptè atq; pro-  
lixè exhibenda.

D I X I.



Ad

*Politissimum Juvenem*

**Dn. JACOBUM HIERONYMUM  
SCHLEISINGIUM**

**DE PEREGRINATIONE  
perorantem**

**V**isereres peregrè positas atque extera regna,  
Et tantum hoc, verè quid sibi laudis habet?  
Nam quid erit vidisse urbes, quid templa, the-  
Et nihil ulterius inde referre domum? (atra,  
Vitam hominum & mores, legesq; expendere & acta,  
Ut, quæ pulchra, sequi, spernere fæda, queas,  
Hoc decori, hoc laudi fuerit: sine mente rogari,  
Crede mihi hoc operam est perdere & una ole-  
um.

*Quod tu dum lepido monstras SCHLEVSINGE,  
libello,  
Te multum sanæ mentis habere doces.*

Augustus Buchnerus PP. Academiae  
Senior & p. t. Rector.

Ad



*Ad Politissimum*  
Dn. JACOBUM HIERONYMUM  
SCHLEUSINGIUM,  
publicè de peregrinatione cum laude  
perorantem.

**Q**uòd multos homines, quòd multas viderit tur-  
bes

*Dulichium regem carmine, Homere, canis.*  
*Tute viatorem pingis sermone pedestri,*  
*Schleusingi, longum qui bene fecit iter*  
*Vrbes vidisti varias, populosque remotos:*  
*Est animus coeptum continuare tibi.*  
*Vade, Deo comitante, itrum, nobisq; revela*  
*Non pauca ad patrios huc redditure lares.*  
*Vnà cum genitore tuo tibi fausta precabor,*  
*Plurima proq; tuà vota salute dabo.*  
Michael VVendelerus SS. Theol. D. &  
PP. VVittenbergenfis

*Ad pereximium*  
Dominum Schleusingium  
*feliciter verba in publico facientem.*  
**P**ondus in est verbis quæ disseris ore rotundo  
*Et gravis ordo patrum dicta probare solet.*  
*Nosse nocet multos populos & nosse iurabit,*  
*Vt quis perdit noscere Mundicolas!*  
M. VVolfgangus Köhler Dresdensis.  
F I N I S



05 A 1465

ULB Halle

3


003 777 91X











D. O. M. S.  
 DISSERTATIO  
 De  
 EGRINATIONE  
 Quam  
 ILLUSTRARI AD ALBIM FLUVIUM  
 PLAUDENTE  
 BENEFICA AC SPLENDIDISSIMA,  
 M CIVIUMQUE ACADEMICORUM  
 CORONA  
 Liberalis exercitij gratia  
 in Acroaterio majori  
 publice  
 habuit  
 Die VII. Julij An. 1654.  
 HIERONYMUS SCHLEUSING  
 Dresdensis Misnicus.  
 WITTEBERGÆ  
 Typis RÖHNERIANIS.

51

